

His vero omnibus Bullis accurate perspectis, nobis videtur prohibitionem Ecclesiae adversus Masonicam, aliasque occultas societates, non sese extendere ad illas operariorum sodalitates quas non constat aliud sibi proponere quam sociorum in propria arte exercenda mutuam tutelam ac juvamen. Et ita etiam judicatum fuit a pluribus Episcopis in Statibus Unitis, quorum sententiam exquisivimus.

Cum autem tales associationes ordinarie periculo non careant, sive erga publicam quietem, sive erga fidem aut mores individuorum, pastores et confessarios movemus ut subditos suos ab iis, quantum fieri poterit, hortationibus et consiliis avertant. Nulli tamen socio deneganda erunt sacramenta Ecclesiae, dummodo sequentes conditiones se observaturum promittat :

1° Ut paratus sit talem societatem derelinquere statim ac Sancta Sedes, vel Ordinarius, eam condemnaverit ;

2° Ne, sub praetextu mutuae tutelae ac juvaminis, quidquam admittatur, quod sectis damnatis faveat, aut inducat periculum turbarum aut caedum, vel tandem justitiae leges quovis modo laedat.

3° Ut omnino abtineat a jurejurando per quod sese obligaret ad obtemperandum quibusvis jussionibus aut legibus Rectorum Societatis, vel ad tale secreti foedus ut, neque etiam interrogante legitima potestate, violari impune possit.

Et veuillez bien recevoir l'assurance de l'affectueux et bien sincère attachement avec lequel je demeure,

Votre dévoué serviteur,

† C. F. EV. DE TLOA.